



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt II. De Proceſſionibvs, Relationibvs, Et Notionibvs Divinis In Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

592. Hanc responsionem ideo retuli, quia in ea plane tacite supponitur, non esse opus admittere, prædicata contradictoria verificari de Essentia & Paternitate. Nam data responsio concedit, quod eo sensu quo Paternitas non est Filius, nempe identitate suppositi, eodem sensu Essentia non sit Filius: & e contra, eo sensu quo Essentia est Filius, nempe Identitate Entitatis, eodem sensu Pater sit Filius. Hæc erat ipsissima mens mea, quando superius ostendere conatus sum, quod non verificentur contradictoria; & hinc in tradita ibi doctrina, ob hujus authoris æstimationem, libenter perulto, quidquid alij judicaverint. Quin etiam intelligo, Hispanum Theologum sæpè laudatum infra, in eadem esse sententia, quod non sint admittenda prædicata contradictoria, necdum tamen legendi copia facta est.

593. Deducitur ex dictis, quo sensu sit vel non sit metaphysicè evidens illud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Est, inquam, metaphysicè evidens, quod quando duo sunt eadem vni tertio communicatione formaliter & materialiter summâ, sunt eadem inter se: & quia hæc sola communicatio summa potest intercedere in creaturis, vt probatum & declaratum est, ideo in creaturis semper est metaphysicè evidens illud axioma, & non est opus declaratione aut distinctione; in Deo autem vt locum habeat, adhibenda est distinctio & declaratio.

594. Porro quia Deus est Ens infinitæ perfectionis, contra cuius conceptum non est, posse communicari summè formaliter alicui prædicato, quin illi communicetur summè materialiter, item, posse communicari perfectivè, quin communicetur perfectibiliter: & simul etiam fides doceat, hoc defecto fieri in Trinitate, deducitur, quod ratione naturali neque sit evidens, posse in

Deo dari hujusmodi communicationem, neque etiam e contra sit evidens, eam non posse dari. Et hoc sensu ex fide constat, falsum esse illud axioma in eo sensu, in quo non est evidens: scilicet: *quæ sunt eadem per communicationem summam formaliter, sunt eadem inter se, & communicant in omnibus prædicatis.* Atque hoc denique sensu verum est, quod dicunt Theologi, Mysterium Trinitatis non contrariari Principio metaphysico in eo sensu, in quo est evidens, sed esse supra illud, sicut est supra naturalem vim cognoscendi.

595. Postquam declaratum est, quod Mysterium Trinitatis non adversetur naturali rationi, breviter etiam videndum est, quomodo sit eidem naturali rationi conforme.

Primo ergo naturali rationi conforme est, quod non detur in Deo vllum exercitium vitale præterquam intellectiōis & volitionis: omne enim aliud vitale exercitium, vt sensationes, vegetationes, motus localis; includunt formaliter imperfectionem, non item Intellectio & Volitio: & sic jam excluduntur à Deo omnia alia prædicata perfectibilia, quæ non habent rationem Intellectiōis, vt habet filiatio, aut volitionis, vt habet spiratio passiva.

596. Secundo est naturali rationi conforme, quod Intelligens & Volens intelligendo & volendo non merè recipiat, sed agat, & detur realis distinctio inter producentem & productum; hæc datur inter Patrem & Filium, inter Spiratorem & Spiritum.

597. Tertiò est naturali rationi conforme, quod detur in Deo Productio Volitionis originatæ etiam ab Intellectiōe producta, & non à solo primo principio improducto: hoc modo Spiritus S. non à solo Patre, sed etiam à Verbo procedit.

C A P V T II.

DE PROCESSIONIBVS, RELATIONIBVS, ET NOTIONIBVS DIVINIS IN GENERE.

CONTROVERSIA I.

An, & quot dentur in DEO Processiones.

598. **F**undamentum multiplicandi Personas divinas est, quod alia ab alia procedat; processio autem sine reali distinctione non datur. Processio est Emanatio & Origo vnius ab alio.

599. Dividitur autem Origo in Activam & Passivam, ad similitudinem actionis & passionis, quæ concipitur intervenire inter Causam & Effectum, seclusis tamen imperfectionibus de-

pendentiæ vnius ab alio, & mutationis. Origo activa concipitur inesse principio producenti, Origo passiva termino producto. Et quamvis communior philosophorum opinio sit, in rebus creatis non distingui actionem à passione, recipique in termino, non in principio, de divinis tamen Processionibus aliud dicendum est, quia in Deo sunt penitus inseparabilia hæc duo: *Producere: & Posse producere: & Principio producenti*
M 3 est utrum-

est utrumque essentiale: ac proinde denominabitur *Producens* ab aliquo suo constitutivo non minus, quàm denominatur *Potens producere*. & pari modo, quia termino est essentiale, *Produci*, ideo etiam denominabitur *productus*, ab aliquo suo constitutivo.

600. Quæstio est, an hæ Processiones fiant per Intellectum & Voluntatem. Cui quæstioni resolvenda perinde est, sive admittatur Virtualis distinctio inter Intellectum & Voluntatem sive negetur. Disputatur enim quæstio in eo sensu, in quo rectè dicimus, cognitionem creatam procedere ab Intellectu, & non à voluntate, aut potentia locomotiva, aut visiva, &c. etiamsi hæ omnes potentie identificentur inter se, & ne quidem virtualiter distinguantur. Quæstio itaque est, an secunda Persona habeat speciale prædicatum, quod non habet tertia Persona, vi cuius dicatur potius Intellectio, quàm Volitio: & contra tertia Persona dicatur potius Volitio, quàm Intellectio.

601. Hieronymus Zancklius, hæreticus Heidelbergenfis, apud Valentiam dixit, temerarium esse axioma Theologorum, quòd Filius procedat per Intellectum, & Spiritus Sanctus per Voluntatem.

602. Durandus docuit, neutram Processionem fieri propriè per Intellectum & Voluntatem, sed per Naturam divinam quàm talem. Ponnit enim Naturam divinam esse priorem Intellectu & Voluntate, & in illo priori propter suam infinitatem esse generativam & Spirativam sine vlla potentia media. Quæ sententia ab alijs erroris, ab alijs temeritatis censurâ notatur.

603. Dicendum est. 1. Cum omnibus alijs scholasticis, processionem Secundæ Personæ esse per Intellectum, & processionem Spiritus S. esse per Voluntatem.

Probatur 1. Ex SS. litteris, ubi secunda Persona vocatur Verbum, & tertia Spiritus S. atque Amor. Verbum autem pertinet ad intellectum, & Amor ad Voluntatem.

604. Probatur. 2. Ex SS. Patribus. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. Verbum, inquit, dicitur, quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vniquæ enunciatricem.

605. S. Chrysostomus to. 5. orat. 9. Quemadmodum sese habet sermo ad mentem, sic vnigenitus DEVS Verbum se se habet ad Patrem.

S. Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 6. Illic intelligendo conspiciamus tanquam dicentem, & Verbum ejus, id est Patrem & Filium, atque inde procedentem Charitatem vtrique communem, scilicet Spiritum S. & infra. Ecce! ergo Trinitas Sapientia scilicet, & Notitia sui, & Dilectio sui, sic enim & in homine invenimus Trinitatem, id est, mentem & notitiam, quâ se novit, & dilectionem quâ se diligit.

S. Ambrosius in Monolog. c. 46. De æterna memoria æternum Verbum nascitur: sicut igitur

Verbum congruè intelligitur Proles, ita Memoria Parentis nomen aptissimè suscipit.

606. Probatur. 3. Ratione. Productiones & Processiones divinarum Personarum sunt operationes vitales, & immanentes: atqui in Deo non datur alia vita quàm Intellectiva & Volitiva: ergo illæ ad hanc vitam pertinebunt.

607. Obijcit Durandus. 1. Intelligere & velle sunt actus essentiales in Deo: Processiones sunt notionales: ergo non sunt Intellectio & Volitio. 2. Distinguendo consequens: Non sunt Intellectio & Volitio essentialis, absoluta, communicabilis & improducta, concedo consequens: Non sunt Intellectio & Volitio notionalis, relativa, & non communicabilis, sed producta, nego consequentiam.

608. Obijcit. 2. Si divina processiones essent per Intellectum & Voluntatem, tunc etiam Filius generaret, & Spiritus S. Spiraret, quia habent Intellectum & Voluntatem communem cum Patre. Retorquetur argumentum in Durandum: habent enim etiam Naturam communem cum Patre: cur ergo non generant per Naturam, sicut Durandus vult Patrem generare? Est ergo difficultas communis, infra solvenda, quando ageretur de Principio formali Processionum.

609. Obijcit. 3. Substantiæ intellectivæ creatæ non generant quatenus intellectivæ sunt, hoc enim habet se per accidens, vnde & non intellectivis convenit generare: ergo etiam in Deo debet generandi vis alteri prædicato tribui. 2. Negando consequentiam: quia Generationi divinæ non debent convenire imperfectiones generationum creatarum, cujusmodi est, generare & non quæ intellectivum. Ob hanc imperfectionem solis substantijs corporeis convenit generare.

610. Dicendum. 2. Duas esse in Deo Processiones, ut fides docet. Ratio constat ex dictis. Duo sunt in Deo principia vitalia, Intellectus & Voluntas: non est autem major ratio, cur vnum sit secundum & non alterum: ergo vtrique debet sua respondere Processio. Debent autem hæ inter se realiter distingui, quia secunditas Voluntatis ratione spirationis activæ est communis duabus personis: secunditas autem Intellectus ratione generationis activæ est propria soli Patri: ergo terminus Generationis debet realiter distingui à termino Spirationis.

Redditur etiam à S. Thoma huius rei congruentia ex Richardo de S. Viç: Tot & non plures afferendæ sunt processiones in divinis, quot requiruntur & sufficiunt ad absolvendum illum circulum, quem faciunt operationes intellectus & voluntatis creatæ: hæ autem sunt duæ:

Nam Intellectio oritur ab objecto, ab Intellectione Volitio, & hæc iterum redit ad objectum.

CONTROVERSIA II.

An, & quot dentur in DEO Relationes reales, & quomodo à Processionibus differant.

611. Guilielmus Parisiensis tract. de Trinit. non solum in creaturis, sed etiam in DEO negat dari Relationes reales, vultque omnes relationes esse secundum Dici seu Rationis.

Dicendum est. 1. Dari in Deo propriè dictas & Reales Relationes. Probat. 1. Ex Concilio Toletano, ubi c. 1. Confessi Fidei, dicitur, quod numerus Personarum ex Relatione colligatur. In Concilio Florentino sess. 18. post medium, §. Divina Substantia: Joannes Theologus ita loquitur. *Proprietates nequaquam communicabiles sunt, quod ex Relationis vi creditur evenire, & infra. Nil nisi Principij habitudo est, in quo hæc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid.* Ibid. §. Dixi quidem. *Sola inquit, Relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores divinâ processionem Personas multiplicat, ita ut non aliâ ratione, quam vi Relationis una Persona ab alia differat.* S. Athanasius Orat. 3. contra Arian. *Pater, inquit, propriè ad Filium refertur, non ad creaturam.*

612. Dicendum. 2. Relationes non differre, saltem adæquatè à Processionibus, nisi nostro concipiendi modo, quo concipimus Relationes creatas Patris & Filij, amici ad amicum instar alijus formæ resultantis ex ratione fundandi, quæ est ipsa Processio seu Origo unus ab altero.

Dixi: *Saltem adæquatè.* Nam verum in adæquatè differat Relatio à Processione, tantumquam inclusum ab includente, est aliqua Doctorum dissensio, de modo loquendi potius quam de Re.

613. Prima sententia docet, quod Processiones activæ non sint sola Relatio Paternitatis, vel Spirationalis activæ, sed formaliter includant etiam Intellectionem & Volitionem absolutam. Ita Vasquez, Arrubal, Tannerus.

614. Communior Sententia docet, solam Relationem esse adæquatè Processionem. Ita S. Thomas q. 41. a. 1. ad 2. dicens, quod actus Notionales (hoc est Generatio & Spiratio activa) secundum modum significandi tantum differant à Relationibus, sed re sint omnino idem. Deinde approbat Sententiam Magistri, dicentis, quod Generatio & Nativitas alijs nominibus dicantur Paternitas & Filiatio.

615. Probatur assertio. Eadem est forma denominans Patrem, quæ est denominans Genitorem: sed forma denominans Patrem, adæquatè non est aliud, quam Relatio Paternitatis: ergo etiam forma denominans Genitorem, est adæquatè Relatio Paternitatis: atqui forma denominans Genitorem est Generatio activa: ergo Generatio activa & Relatio Paternitatis sunt ad-

æquatè idem. Sanè ad significandum discrimen inter *Spirationem activam* & *Relationem Spiratoris* ne quidem diversa nomina sunt imposita.

616. Obijciunt. 1. Productio Verbi est locutio intellectualis: sed locutio intellectualis est ipsa intellectio: ergo & productio Verbi. Verum hoc argumento probaretur adæquata distinctio Relationis à Processione, quia Relatio ne quidem in adæquatè est formaliter id, quod Deus formaliter intelligit. 2. Distinguendo majorem; est locutio intellectualis quæ loquens sibi ipsi loquitur & intelligit, nego: quæ loquitur alteri ut alteri, concedo majorem, & distinguo minorem: Locutio intellectualis quæ Pater alteri loquitur, est ipsa Intellectio essentialis, nego, quæ sibi loquitur, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam, ut advertit Card. de Lugo, locutio quæ alteri loquimur, non includit, sed præsupponit Intellectionem, quæ sibi prior loquatur, & quam alteri per locutionem velit communicare. Hoc modo se habet productio Verbi divini: nam licet assimiletur nostro Verbo mentali, hoc est, intellectioni quoad hoc, quod sit immanens, differt tamen, quod ordinetur ad hoc ut Filius intelligat, & sic assimilatur nostro Verbo externo.

617. Obijciunt. 2. Propositionem illam quæ S. Augustinus, Hieronymus, & Bernardus vultur, quod Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto; & eodem modo volunt, quod Pater se intelligat Verbo. Atqui hæc propositiones non possunt verificari, nisi ipsa intellectio, & volitio essentialis, sit productio activa. Ergo &c. Verum hoc argumento probaretur, Intellectionem essentialem esse formaliter & virtualiter ipsum Verbum, & Volitionem essentialem Spiritum S. De propositionibus objectis optimè discurret citatus author ex S. Thoma q. 37. a. 2. cum quo,

618. Observandum, illas propositiones in sensu stricte formali non esse veras, ob rationem jam insinuatam. Vnde S. Augustinus similem propositionem, quæ dixerat, quod Pater est Sapiens Sapientiæ genitæ, retractavit lib. 1. Retract: c. 26. & lib. 6. de Trin. c. 1. & 2. & alibi. & quidem ad mentem S. Athanasij, Oratione contra Gregales Sabellij, dicentis: Sapiencia Patris est Filius, non ut in homine, ubi per Sapienciam est sapiens, sed ex sapiente sapientia illa ortum habet. Vnde aliqui apud S. Thomam arbitrati sunt, S. Augustinum etiam retractasse alteram propositionem de Spiritu S. Verum cum S. Thoma responderi potest, quod sicut Pater se & sua dicit Verbo, ita ut rō Verbo non tantum dativi, sed etiam ablativi casus sit, ita etiam Pater Filio testetur suum amorem, seu affectivè manifestet Spiritu Sancto: adeoque quando dicitur Pater Filium amare Spiritu Sancto, non sit intelligendum in sensu formali, sed in ratione signi seu termini, vel, ut alij loquuntur, terminativè, sicut homo, qui ex interno amore amicum amplectitur vel osculatur, dicitur tali amplexu vel osculo diligere alterum, non formaliter, sed significativè seu terminativè.

hoc sen-

hoc sensu dixit S. Bernadus serm. 8. in Cant. Spiritum S. esse osculum Patris ad Filium.

619. Dicendum. 3. Absolutè loquendo dantur in Deo quatuor Relationes. Ita communis contra quosdam antiquiores, Majorem, Ockam & Gabrielem, qui potiùs in modo loquendi, quàm reipsà dissentire videntur. Probatur Conclusio. Vbi sunt diversæ rationes fundandi, sunt diversæ Relationes oppositæ: sed sunt duæ diversæ rationes fundandi, nempe duæ Processiones, quarum una est à solo Patre, altera à Patre & Filio per Spirationem activam utriusque; communem: ergo prior ratio fundandi fundat duas Relationes oppositas, quarum una est Paternitas, altera Filiatio; posterior fundat duas alias Relationes, quarum una est Spiratio activa, denominans Spiratorem, altera Spiratio passiva, denominans Spiritum.

620. Confirmatur. Pater & Filius referuntur ad Spiritum S. sed non referuntur sub conceptu Patris aut Filij, quia Spiritus S. nec est Filius Patris, nec Pater Filij: ergo referuntur aliâ Relatione: ergo sunt quatuor Relationes.

Observandum tamen est, in hac Conclusionè præscindi, an, & quomodo omnes quatuor relationes ab invicem distinguantur, nam hæc est controversia realis, de qua jam dicetur.

CONTROVERSIA III.

Quenam intercedat distinctio inter Spirationem activam, & Relationes Paternitatis & Filiationis.

621. Spirationem activam realiter distingui à Spiratione passiva, tanquam Relatione sibi opposita, jam dictum est. Quæstio est, an à Paternitate & Filiatione aliquo modo distinguatur, nemine cogitante.

622. Prima Sententia est, distingui realiter, & sic dari in Deo realem quaternitatem. Ita Durandus. Secunda sententia docet, Spirationem activam esse quoddam complexum seu aggregatum ex Paternitate & Filiatione. Hæc sententia nullum habet classicum Authorem, nisi quod Arriaga fateatur, se in eam vehementer inclinare.

623. Dicendum est. 1. Spirationem activam non distingui realiter à Paternitate & Filiatione. Est adeo certa Conclusio, ut sententiam Durandi aliqui vocent erroneam, propter aperta verba Concilij Lateranensis, omnem in Deo quaternitatem damnantis. Nec juvat Durandum, quod præcipua intentio Concilij fuerit, damnare quaternitatem, cujus vnum membrum esset ipsa Essentia: nam ex verbis illius deducitur, non dari quaternitatem Relationum: verba sunt. *Ideo solummodo Trinitas est, non Quaternitas, quia qualibet trium Personarum est illa Res, videlicet Substantia, Essentia &c.* quæ causalis non esset bona, si staret sententia Durandi, quia identitas Personarum cum natura staret cum quaternitate Relationum: imò debuisset Concilium dicere: *Ideo solummodo est Quaternitas, & non Quinquenitas, quia qualibet Relatio est illa res.*

624. Confirmatur. Nam ut ipse Durandus fateatur, in illo cap. damnatur Quaternitas Personarum. atqui si darentur quatuor relationes realiter ab invicem distinctæ, darentur hoc ipso quatuor Personæ: nam Spiratio activa non minus esset incommunicabilis quàm Paternitas, si enim esset communicabilis, identificaretur cum illa Persona, à qua, & cui communicaretur, quia illis non opponeretur relativè, & sic esset duabus Personis communis, quod quidem est verissimum, ut dicemus; sed adversatur sententia Durandi, ergo in sententia Durandi Spiratio activa est incommunicabilis: ergo esset quarta Personalitas.

625. Confirmatur. 2. Si Spiratio activa realiter distingueretur à Paternitate & Filiatione, deberet alterutra harum ab illa procedere, vel illa ab alterutra: non enim multiplicantur Relationes nisi per oppositionem Processionis: utrumque est falsum, ergo &c.

626. Fundamentum Durandi præcipuum est, quod existimet, pro reali diversitate terminorum debere multiplicari realiter relationes ad illos terminos. Nam præterquam quod hoc principium etiam in creatis negetur à quæplurimis, est insuper specialis ratio in divinis, ubi nulla est admittenda realis distinctio, quando nulla est Processionis & Relationis oppositio: atqui Paternitati & Filiationi non opponitur processivè & relativè Spiratio activa: ergo non distinguuntur.

627. Dicendum. 2. Eandem numero Spirationem activam esse in Patre & Filio, utriusque communem, & à Patre communicatam Filio, sicut illi communicatur Natura, ac proinde esse virtualiter intrinsecè distinctam tam à Natura quàm à Paternitate & Filiatione. Ita quoad principale punctum omnes Theologi supponunt, adeo ut teste Suarez lib. 5. c. 6. n. 5. plus quàm temerarium foret, ab hac sententia recedere, & Ruiz d. 18. s. 2. n. 7. dicat, oppositum esse errori proximum.

628. Prob. 1. Quidquid est in Patre, secundum quod in ratione numerica consideratum, non opponitur Filio tanquam Producenti Productum, illud idem numero communicat per identitatem Filio: sed Spiratio activa est in Patre, & per illam non opponitur Filio tanquam Producenti Productum; Filius enim non spiratur: ergo sicut Naturam, ita eandem numero Spirationem activam communicat Filio.

629. Respondere conatur Arriaga. Licet Pater non opponatur Filio in ratione Spiratoris ut sic: opponitur tamen in ratione talis Spiratoris: sicut licet non opponatur in ratione Personæ ut sic, opponitur tamen in ratione talis Personæ: & sicut hoc sufficit, ut Pater non habeat Personalitatem communem Filio, ita sufficit, ut nec habeat Spirationem communem.

630. Verum

630. Verum hæc responsio neutiquam satisfacit, & est disparitas manifesta inter prædicatum *Personæ & Spiratoris*. Nam prædicatum *Personæ* repugnat idem numero communicari Filio realiter distincto: daretur enim in prædicato communicabili processus in infinitum. Nam Personalitas Patris secundum illam formalitatem, quæ realiter distinguitur à Filio, semper retinet rationem *Personæ*, & sic iterum abstrahi posset prædicatum communicabile, & ita in infinitum: quod cum sit per se absurdum, utique dicendum est, prædicatum *Personæ*, ita esse imbitum in Paternitate, ut sicut hæc, ita & prædicatum *Personæ* sit incommunicabile. Nihil huiusmodi locum habet in prædicato *Spiratoris*, & Spirationis activæ, si dicatur communicari Filio à Patre, & potest hæc sine vilo inconvenienti dici esse virtualiter intrinsecè distincta à Relatione Paternitatis & Filiationis, non autem ratio *Personalitatis*.

631. Confirmatur. Nam Pater communicat Filio, quicquid habet, solâ gignendi facultate exceptâ, ut habet axioma Theologorum; Sed spiratio activa, formaliter loquendo, non est facultas gignendi: ergo communicatur Filio.

632. Probatur Conclusio. 2. Et efficacius ex Concilio Lugdunensi, relato in cap. vñico de Summa Trinitate in 6. Vbi definitur contra hæreticos, vel negantes Spiritum S. procedere à Patre & Filio, vel assentes procedere ab illis tanquam à duobus principiis; definitur, inquam, quod Spiritus S. ex Patre & Filio non tanquam duobus Principiis, sed tanquam ex vno Principio, non tanquam duabus Spirationibus, sed vnicâ Spiratione procedit.

Respondere conatur iterum Arriaga, Concilium loqui de Spiratione passiva, quia Spirationem & Processionem pro eodem usurpat. Sed nescio an hæc seriò dici possint. Quis enim nescit, non minus dari & dici processionem activam, quam passivam? ergo etiam si Concilium pro eodem sumat, non sequitur, quod loquatur de Spiratione passiva. Deinde quæ necessitas fuisset definire, vnicam esse in Deo spirationem passivam, cum nemo duas asseruerit? de spirationis autem activæ simplicitate utique poterat dubitari, quando defacto Arriaga dubitat.

633. Confirmatur ex Florentino sess. 24. docente, Patri & Filio esse vnam potestatem spirandi: per Potestatem autem non intellexit Concilium Volitionem essentialem, de cuius vnitatem communi Patri & Filio non erat dubium: intellexit ergo spirationem activam, quæ est, & rectè vocatur Potestas & Virtus spirandi, eò quod possit spirare, &, spirare sint inseparabilia.

634. Respondet iterum Arriaga, Spirationem activam nunquam vocari potestatem, cum sit quasi Actio, & hoc ait esse apud omnes certum. Sed, quomodo potest hoc esse apud omnes certum, cum plures DD. (quos ego quoque sequar) doceant, Principium formale Quo, saltem partia-

le, esse ipsam Generationem & Spirationem activam? Deinde potestas spirandi & virtus spirandi sunt synonyma: atqui ipse Arriaga vocat Spirationem activam Virtutem spirandi; nam disp. 51. s. 1. §. secundò posset: habet hæc formalia verba: *Et quidem certum est, Patres admisisse Virtutem spirandi, illam autem nos vocamus Relationem spirationis.*

635. Ex dictis deducitur. 1. Quomodo spiratio activa distinguatur tum à Natura divina, tum à Personalitatibus Patris & Filij. Distinguitur inquam virtualiter intrinsecè: à Natura quidem, quia Natura est tribus Personis communis, non item Spiratio activa, & sic distinguitur realiter in tertio, nempe in spiratione passiva, cum qua realiter identificatur Natura, spiratio verò activa realiter ab eadem distinguitur. A Relatione Patris distinguitur etiam virtualiter, quia spiratio activa est communis Patri & Filio, non item Paternitas; & ob eandem rationem distinguitur etiam virtualiter à Filiatione, quæ producit realiter, non item Spiratio activa.

636. Deducitur. 2. Cur Theologi non assignent in Deo tot proprietates, quot sunt Relationes, sed tantum tres. Nempe quia Spiratio activa est duabus Personis communis, & ideo non venit nomine Proprietatis, quæ debet vni Personæ tantum convenire.

CONTROVERSIA IV.

Quot, & quæ sint Notiones in Trinitate.

637. Notio apud Theologos consentaneè Sanctis Patribus, aliud non est, quam Nota, seu prædicatum vnius divinæ Personæ, quo discernitur ab alia Persona.

Et quamvis rideant hæretici cum Valentino Gentile Italo, patriâ Cosentino, negante vnitatem Essentiæ, suamque hæresin per Galliam, Germaniam & Poloniam spargente, ac denique Bernæ capitali supplicio affecto, quod hoc vocabulū non reperitur in S. Scriptura, ipsi tamen multò magis ridendi sunt, quod non advertant, abunde contineri Jo. 10. *Sicut novit me Pater, & ego nescio Patrem, & Matth. 11. Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

638. Quoad numerum Notionum loquendum est cum communissima sententia Theologorum; contra Scotum, & Gabrielem, esse quinque. Cum enim huius numeri possit commoda ratio reddi, esto æquè commodè possent ad pauciores vel plures extendi, in tanto Mysterio à communi non est recedendum.

639. Solent ergo Notiones his vocibus significari. Innascibilitas (hoc est Improducibilitas) Paternitas (& hæc duæ conveniunt soli primæ Personæ) Filiatio, Spiratio activa & passiva.

N

Objicies.

Objiciet. 1. Improducibilitas convenit etiam Naturæ div. inæ, & Spirationi activæ, ergo non est Notio Perfu. 12. Respondet P. Esparza q. 39. 4. 5. esse accipiendam Improducibilitatem prout conjunctam cum Incommunicabilitate.

640. Objicies. 2. Spiratio activa est communis duabus Personis: ergo non est Notio, sicut ob eandem rationem excluditur à numero Proprietatum. 2. Satis esse, quod sit discretiva duarum Personarum à tertia: neque est de ratione Notionis, quod conveniat vni soli, sicut est de ratione Proprietatis.

641. Replicabis. Ergo pari modo posset assignari Ingenerabilitas, & Inspirabilitas, quarum prima convenit Patri & Spiritui S. secunda Patri & Filio. 2. Negando paritatem, quia hæc non sunt in re vna simplex, sed duplex, & vna tantum per abstractionem. Sed hinc Quæres, quare non detur vna simplex Ingenerabilitas & Inspirabilitas? Respondeo (vt alia plura taceam) hoc dici non posse: nam Ingenerabilitas si esset communis Patri & Spiritui S. deberet illam Spiritus S. accipere communicatam à suo Spiratore, qui est Pater & Filius: atqui Filius eam non habet: ergo nec potest eam communicare. Quoad Inspirabilitatem verò, vel loquimur de Inspirabilitate incommunicabili, quæ est ipsa Paternitas, & hoc ipso non potest esse communis Patri & Filio, vel de Inspirabilitate communicabili, & hæc est ipsa Spiratio activa, quæ communicatur Filio.

642. Denique, præcindendo ab hujusmodi instantijs, in genere responderi potest cum Ruiz & Esparza, quod ideo illæ quinque Notiones potius quàm aliæ alijs nominibus significabiles ponantur, quod habeant præcipuam quandam vim ingenerandi in audiente apprehensionem specialem dignitatis in Personis divinis, & ideo per illas notificentur decentissime; quia decentius aliquid notificatur per ea, quæ peculiariter spectant ad dignitatem illius.

643. Notiones à Relationibus non differunt virtualiter intrinsecè, differunt tamen nostro concipiendi modo, quatenus Relatio quæ talis comparatur ad vnum terminum, & ad suum correlativum: Notio verò comparatur ad plures terminos, à quibus per notionem Persona discernitur.

CONTROVERSIA V.

Cur multiplicatio Proprietatum seu Relationum, multiplicet Personas, & non DEVM.

§. I.

Pereziana ratio discriminis rejicitur.

644. P. Antonius Perez disp. 4. de Trin. c. 1. à n. 8. docet, d. scilicet inter concretum Persona

& Dei, desumendum esse ex differentia Substantiali Naturæ divinæ ab alijs naturis: nempe quod aliæ Naturæ non sunt sibi primarium Rectum, sed Supposita sunt ipsarum primarium Rectum. Natura autem divina est sibi Rectum primarium: Personalitates verò divinæ seu supposita, sunt ejusdem Naturæ divinæ Rectum secundarium, & virtualiter intrinsecè sunt illius obliquum.

645. Ex hoc fundamento deducit Author 1. dari in Deo substantiam absolutam & communem, indistinctam virtualiter intrinsecè à Deitate. Deducit. 2. Naturam divinam in priori signo, priusquam procedant ab ipsa Personalitates, esse non solum Deitatem, sed Deum. Hinc denique deducit 3. & reddit rationem, cur sit vnus Deus formaliter: quia cum Deitas & Deus secundum rectum primarium sint idem, sicut vnica est Deitas, ita vnus est Deus. non verò est vna Persona, sed tres, quia vox Persona, significat Personalitatem, tanquam constitutivam Personæ, & quidem in Recto.

646. Hæc doctrina quoad modum loquendi est excogitata à citato Autore; quoad rem ipsam est ex parte desumpta ex Suarezio, lib. 4. de Trin. c. 14. n. 6. qui vocaverat immediatum significatum vocis Deus Naturam divinam vt substantiam substantiam absolutam & communem.

Contra hanc doctrinam est. 1. Quia, vt infra videbimus, substantia absoluta & communis in Deo rectius negatur.

Contra est. 2. Quia ex hac doctrina sequitur, quod sicut est falsa hæc propositio: Deus generat: ita etiam falsa esset hæc: Deus generat: nam secundum Perezium Deus & Deitas sunt formaliter idem. consequens admitti non potest.

647. Respondere conatur Perez, negando sequelam. Nam nomen Deus, supponit in recto primario pro ipso Deo, qui formaliter nihil est aliud, quàm ipsa Deitas: sed tamen debebat etiam per consequentiam quandam supponere in recto virtualiter intrinsecè secundario pro suppositis divinis, & pro omni eo, quod est idem cum Deo & Deitare. Differt ergo nomen Deitas, à nomine Deus, quod nomen Deitas non significat supposita divina, tanquam eadem etiam materialiter cum ipsa, sed vel ab illis objective præcindit, vel in obliquo & indistinctè ita significat, vt omnia prædicata, quæ attribuantur nomini Deitas, immediatè & formaliter ipsam afficiant, & de ipsa verificari oporteat.

648. Hæc tamen responsio non satisfacit ex duplici capite. Primò, quia et si vtrunque ostendat, quod in aliquo sensu materiali sit vera propositio (quæ est ab omnibus admittenda) Deus generat, non tamen ostendit, quare non meliori jure, simpliciter & absolutè, ac sine adjecta explicatione, & in sensu formali ac primario, sit vera hæc: Deus non generat, quia in hoc sensu est vera hæc: Deitas non generat, quæ est illi synonyma in hujus Authoris doctrina. Secundò, non satisfacit responsio: quia præbet ansam audacibus, dicendi,

dicendi, quod licet accipiendo vocem *DEVS* in suppositione sua primaria & formali, non sint in suppositione sua secundaria & Tres Dii, attamen in suppositione secundaria & materiali, possunt dici tres Dii. Vnde non meretur reprehensionem Marfilus, quod ausus sit dicere, non fore absurdum concedere tres Deos, si Ecclesia hunc loquendi modum toleraret: & tamen ipse Perez n. 3. fatetur, hanc sententiam esse absurdam: sed cur est absurda? Quia, inquit, *Scriptura vnum Deum predicant, & multitudinem Deorum passim damnant.* Verum ad hoc dupliciter responderet Marfilus. 1. diceret, non minus Scripturam predicare Deum generantem & Deum genitum: ergo neque hae propositiones deberent in sensu formali & primario posse negari. Responderet. 2. Scripturam asserere vnum Deum in suppositione formali & primaria, nec tamen propterea negare plures Deos in suppositione materiali & secundaria.

649. Contra doctrinam Perezij est. 3. Quæro, unde habeat, quod multiplicatio recti secundarii non sufficiat, ut nomen *Deus* possit verificari & proferri pluraliter? Gratis hoc ab eo dici sic offendo. In solo Deo (quod nunc permitto adversario) & nunquam in creaturis, datur duplex Rectum primum & secundarium. atqui à nullo vnquam S. Patre aut Theologo assignata est specialis regula pro Deo, multiplicandi vel non multiplicandi concreta ad multiplicationem Recti, sed semper regula generali vti sunt. Non potest autem esse regula generalis hæc, (in qua tamen se vnicè fundat Perez.) *multiplicato solo recto secundario & non primario, non multiplicantur concreta.* non dantur enim extra Deum recta secundaria. Fundatur ergo doctrina Perezij in principio prorsus arbitrario, & ante hac incognito.

650. Contra est. 4. Quia P. Perez denique fatetur debet, posse ex regula generali multiplicandi concreta substantia, rationem reddi, cur non obstante Trinitate Personalitatum, sit vnus *Devs*; ergo non est recurrendum ad duplex rectum, primum & secundarium, hæcenus incognitum, quo nemo respexit, quando vnum *Devm* in Trinitate confessus est. Antecedens ostendo. Fatetur P. Perez n. 11. quod si tres diuinae Personalitates assumerent vnā humanitatem, esset vnus homo, & non tres: quæro, cur non essent tres, cum recta multiplicentur, neque hic sit aliud rectum primum aliud secundarium? Responderet, hoc fieri propter regulas nominis substantivi, scilicet, quia humanitas est forma substantivè significata, cuius multiplicatio requiritur ad multiplicanda concreta substantia. Bene est, ergo ex hac ipsa regula potest ratio reddi, cur sit vnus *Devs*, & est vera communisq; doctrina. quid ergo cogit ad novam regulam excogitanda?

651. Quintò, obiter observo, secundum P. Perez non solum non sufficere multiplicationem recti ad multiplicationem concretorum sub-

stantialium, (quod verum est) sed ne quidem requiri: docet enim, quod si Verbum assumeret duas humanitates, (quo casu rectum non multiplicaretur) essent duo homines. Cæterum hoc ab alijs communiter negatur, & cum hoc olim dixisset S. Thomas, postmodum in Summa 3. p. q. 3. a. 7. ad 2. retractavit. Lubet ejus verba adscribere, quibus clarè continetur id ipsum, quod ego tertio & quarto loco Perezio objeci. Sed, inquit, *non videtur esse verum* (nempe fore duos homines) *quia nominibus est utendum, secundum quod sunt ad significandum imposita; quod quidem est ex consideratione eorum* NB. *quæ apud nos sunt* (ecce! quod requirat regulam generalem!) & ideo oportet circa modum significandi & consignificandi, considerare ea quæ apud nos sunt, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum.

652. Sextò denique, si alia omnia abessent, ex hoc vnico capite rejicienda esset Explicatio Perezij, quia fundamentum illius non subsistit. Fundamentum inquam est, quod nomen *DEVS* non sit nomen suppositi seu Personæ, ut habet n. 9. dicens, Deum non esse formaliter Personam: sed rationem Personæ, sive in communi sive in particulari sumptam, esse extra primariam rationem Dei, sicut est extra rationem Deitatis. Hoc autem teste Ruiz de Trin. d. Trin. d. 78. s. 1. & 2. nemo Theologorum antè dixit, & est apertè contra S. Damascenum lib. 3. fidei c. 11. in fine. *Deitas*, inquit, *Naturam ostendit, Pater autem hypostasim, quemadmodum & humanitas Naturam, Petrus hypostasim.* *Deus autem & commune Naturæ significat, & vnamquamque hypostasim denominat, nam Deus est* NB. *divinam Naturam habens, & homo humanam.* Nihil apertius contra Perezium, & pro communi sententia paulò post tradenda dici posset.

S. II.

Explicatio Vasquezij.

653. Et plurimum opinio post Vasquez, concreta substantiva Naturæ supponere in recto pro sola Natura, nisi major dignitas Personalitatis obstat, prout contingit in Christo homine; sic enim salvatur veritas hujus propositionis: *Homo est DEVS*, quia Verbum habens humanitatem, est realiter Deitas, quæ est rectum concreti *Deus*. Exceptionem probant ex Aristotele, dicente, id esse aliquid, quod est præcipuum in illo. Verbum autem est præcipuum in homine qui est Christus: & ideo importatur in recto. Hoc supposito redditur ratio, cur multiplicentur in Deo Personæ, non verò *Devs*, quia rectum significatum nomine *Deus*, non multiplicatur; significatum verò nomine Personæ, multiplicatur.

654. Huic sententiæ duo objicit P. Antonius Perez n. 4. Primum, quod secundum hanc rationem vera esset hæc propositio: *Deitas generat*, non minus quam hæc: *DEVS generat.*

Objicit. 2. Ego, inquit, *sum Persona, & homo, & tamen non sum humanitas, omnis etiam homo est suppositum*

positum & Persona (utique; cur enim ille, & non alij?) & tamen nullus homo est sua humanitas. ergo rectum hominis non est humanitas, & univrsim falsum est illud principium quod assumitur, nempe nomen concretum substantivum Naturæ significare in recto solam naturam. Prior objectio fortassis aliquid momenti habere posset: secunda deficit, quod non probet assumptum, quod adversarij negant.

§. III.

Verior ratio discriminis assignatur.

655. Veriorem discriminis rationem ex communi Theologorum apud Ruiz d. 77. & seq. & Franciscum de Lugo, d. 20. c. 2. desumptam ex communi modo loquendi, illustravit Card. de Lugo de 13. de Incar. quam etiam approbat P. Antonius Perez n. 6. nisi quod existimet, unitatem Dei esse explicandam sine alligatione vlla ad communem modum loquendi. Nos tamen contrarium judicamus cum S. Thoma paulò antè laudato, qui nos ad communem loquendi modum remisit. Ratio est, quia cum in re ipsa omnes conveniamus, nempe in Deo esse vnam essentiam, & tres Personalitates, & quæstio sit, cur potius dicenda sint tres Personæ, quàm tres Dij, non potest hujus diversitatis ratio melius aliunde desumi, quàm ex communi usurpatione nominum in singulari vel plurali, investigando regulam generalem.

656. Accedit, quod P. Perez pro sua singulari explicatione, supponat, dari in Deo substantiam absolutam, quod cum ad minimum sit incertum, potius in re certissima declaranda est ab hujusmodi incerto principio abstrahendum: hoc autem si fiat, nulla melior regula assignari potest, quàm communis, ut fatetur P. Perez.

657. Itaque Cardinalis de Lugo facit discrimen inter concreta substantia sua seu substantiva, & Accidentalibus, seu adjectiva. Ut multiplicentur concreta accidentalibus, seu adjectiva, sufficit & requiritur multiplicari rectum seu illud quod à forma accidentali denominatur, etiamsi illud significetur tantum confusè, forma autem explicitè. v. g. si Petrus haberet tres albedines, esset unicum album, & quantumvis variatà albedine semper esset verum dicere; *Hoc album est Petrus*; etiamsi per id *hoc album* subjectum significetur confusè, & implicitè, albedo verò explicitè: hoc inquam non obstante determinatio & designatio semper caderet supra rectum, & hoc ex communi modo loquendi: cujus fortasse fundamentum est, quod termini adjectivi, licet significant formaliter formam, significant tamen eam per modum accidentis, & habiti à subjecto: cum autem accidens sit ens in alio, seu adveniens alteri, jam supponit subjectum hoc aliquid constitutum, quod possit ac debeat designari & determinari per signum illi appositum: ideo ly *Hoc* positum cum

album, determinat subjectum albedinis, quia subjectum significatur ut ens constitutum & per se, cui albedo advenit.

658. Aliter se res habet in terminis substantivis, v. g. *Homo*: quia non significat humanitatem ut habitam seu advenientem alteri, sed substantivè, id est, ut constituentem primum illud ens, & ut primariam seu primariò intentam essentiam illius; ideo quando Humanitas significatur formaliter & explicitè per terminum substantivum, determinatio cadit supra Humanitatem formaliter & explicitè significatam. Nunc ergo veniendo ad Concreta substantiva,

659. Dicendum est, ad eorum multiplicationem requiri quidem multiplicationem recti, hoc tamen non sufficere (demus etiam, substantiam importari in recto, ab hoc enim nunc præscindimus) sed debere insuper multiplicari illud, quod significatur determinatè, explicitè & formaliter. Hoc posito,

660. Ratio cur sit vnus Deus, non obstantè pluralitate Personalitatum, facile redditur. Vel enim vis, solam Naturam importari in recto, vel etiam substantiam: si primum: jam rectum non multiplicatur: ergo jam vnum requisitum deficit ad multiplicandos Deos. Si verò vis, in recto importari substantiam, deficit alterum requisitum, nempe multiplicatio illius quod significatur per nomen *DEVS* determinatè, explicitè & formaliter, nimirum Essentia divina seu Deitas.

661. Quare secundum hanc explicationem nil interest, quid importetur in recto: si enim Natura? ex duplici capite provenit quod non sint plures Dij, nempe quia nec Rectum, nec formale seu explicitum significatum multiplicatur. Si substantia? sufficit alterum deesse, nempe multiplicationem significati formalis & expliciti.

662. Econtra redditur ratio ex eadem regula, cur multiplicentur Personæ: Quia & rectum hujus Concreti, & significatum formale explicitum multiplicatur, hoc enim est Personalitas ut patet, & omnes fatentur.

663. Contra hanc Lugonis Regulam, quam etiam amplectitur P. Aldrete de Voluntate Dei disp. 9. s. 8. n. 9. & Philippus à SS. Trinit. d. 9. dub. 2. objecerunt quidam. Hæc Regula non est vna indivisibilis, sed duplex, alia pro Concretis accidentalibus, alia pro substantialibus. Ergo alia magis generalis querenda est. Regula traditam, si rectè intelligatur, esse vnam indivisibilem tam pro Concretis substantialibus, quàm pro Concretis accidentalibus. Regula ergo sic formanda est. Tunc solum multiplicantur Concreta, quando multiplicatur Rectum, & simul etiam significatum designatum per adjectum pronomen *Hic Hæc Hoc*. Hæc Regula facillimè applicatur Concretis accidentalibus, quia in his, ut ostendimus, Rectum, & significatum determinatum seu designatum sunt idem, & ideo mul-

ideo multiplicato vno, multiplicatur & alterum. In Concretis substantialibus applicatio regulæ pendet à diversitate sententiarum circa Rectum illorum. Et quidem in concretis Personalibus res est expedita, quia etiam ibi Rectum & significatum determinatum sunt idem, nempe *Personalitas*, sicut in Concretis accidentalibus. At verò in concretis Naturæ est quædam dissensio circa Rectum, non autem circa significatum determinatum, ideo enim dicuntur Concreta Naturæ, quia Naturam formaliter & determinatè significant. Est inquam dissensio circa Rectum. Aliqui enim volunt, subsistentiam esse Rectum, & tunc quia potest Rectum multiplicari non multiplicato significato determinato, & e contra, ideo vnus multiplicatio non sufficit, sed oportet vtrumque multiplicari. Hinc, si vna divina subsistentia assumeret plures humanitates, vel e contra plures subsistentiæ vnā humanitatem, semper esset vnus homo, & in primo casu vna Persona, in secundo verò, plures Personæ, vt habet communis Sententia cum S. Thoma 3. p. q. 3. a. 6. ad 1. & art. 7. ad 2. At verò si singulæ Personæ singulas humanitates diversas assumerent, essent tres homines & tres Personæ, vt ex communi tradit Ruiz *sect. 6. n. 6.*

664. Est insuper inter Concreta Substantiva & adiectiva hoc discrimen, quòd priorum significatum determinatum idem sit cum significato formali & explicito, in concretis verò accidentalibus seu adiectivis, significatum determinatum sit distinctum à significato formali & explicito.

CONTROVERSIA VI.

Virum detur in DEO Subsistentia absoluta, communis tribus Personis.

665. PRIMA sententia est, non dari in DEO tres subsistentias Relativas, sed vnā absolutam, & omnibus tribus communem. Ita Durandus, Paludanus, Ferrariensis.

Secunda admittit quatuor subsistentias, quarum tres sunt relativæ, realiter ab invicem distinctæ, quarta verò sit absoluta, à Relativis non aliter quàm ipsa Natura, virtualiter intrinsecè distincta. Ita Cajetanus, Alvarez, Bannez, Zumel, Bellarminus, Suarez, Granadus, Ant. Perez, Philippus à SS. Trinitate, Tertia solas Relativas agnoscit. Valent. Vasquez, Albertinus, Tanner, Zuniga, Arrubal, Wandervek, Ruiz, Denckennius, Comptonus, Esparza.

666. Dicendum est. 1. Admittendæ sunt Tres subsistentiæ Relativæ. Probatur. 1. Autoritate Concilij Chalcedonensis, quinta & septima synodi, vbi dicitur, Trinitatem esse divinam numeralibus subsistentijs, & Personalibus alteritatibus, & vnā Deitatem in tribus subsistentijs esse adorandam. Aliorum etiam Conciliorum verba videri possunt apud Ruiz *disp. 24. s. 2.*

667. Probatur. 2. Ratione. Tres sunt in Deo Personæ: atqui explicitum & formale significatum Personæ, est Personalitas seu subsistentia: ergo multiplicatis Personis debent multiplicari subsistentiæ. Porro Personæ divinæ non differunt nisi per Relationes: ergo earum subsistentiæ sunt Relationes: sed Relationes realiter ab invicem distinctæ sunt tres: ergo & tres subsistentiæ.

668. DICO. 2. Non est asserenda subsistentia absoluta in Deo. Probatur. 1. Autoritate Patrum. Iustinus in expositione Fidei de Trinitate: *Quatenus inquit, Pater & Filius & Spiritus S. vnus Deitatis dignoscendo subsistentias, quatenus autem DEVS Essentiam communem Subsistentiarum &c.* S. Damascenus in Epist. de Trifligio. *Non est autem, inquit, ipsorum communis vna hypostasis. Deitas autem communis est trium hypostasum vna existens.*

669. Omitto alia, quæ facilius possunt explicari, quòd solum negent subsistentiæ vnitatem in sensu Sabellij, hoc est, realiter identificantis tres subsistentias. Nihilominus optimè observat Ruiz, quòd quando Concilia loquuntur de subsistentijs, semper assignent tres Relativas, nunquam autem aliquam absolutam; quod signum est, non agnovisse Patres prædicatum aliquod speciale subsistentiæ convenire Naturæ prout virtualiter distinctæ à subsistentijs Relativis.

Probatur. 2. Autoritate S. Thomæ q. 40. a. 3. *Remota, inquit proprietate Personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis.* Nota obiter S. Thomam vti hypothesei impossibili ad investigandum conceptum formalem rei, & partem constitutivam illius, quem tamen argumentandi modum quidam Recentiores putant esse mirabiliter levem.

670. Probatur. 3. Ratione. Natura divina prout virtualiter contradistincta à Relationibus, non est Persona, vt fatentur adversarij contra Durandum, qui dicit, esse Semipersonam & Semisuppositum: ergo non habet subsistentiam absolutam. Probatur Conseq. Vbi non reperitur effectus formalis specialis alicujus formæ, non datur illa forma: sed effectus formalis specialis subsistentiæ est: constituere Personam: ergo si Natura divina, prout virtualiter distincta à Relationibus, non est Persona, seu suppositum, non habet subsistentiam.

671. Probatur. 4. Effectus formalis subsistentiæ vt sic, est, esse vltimum terminum & complementum substantiale Naturæ: atqui ea quæ in Deo sunt absoluta, non sunt huiusmodi vltimum complementum, cum admittant, immò exigant vltèrius complementum, nempe subsistentias relativæ: ergo nihil absolutum potest in Deo habere rationem formalem subsistentiæ.

Obijciunt. 1. Autoritatem Agathonis Patris dicentis: *Confitemur Trium Subsistentiarum seu Personarum vnā subsistentiam.* 2. Esse mendum, emendatum postea in alijs Conciliorum exemplis.

exemplaribus, ubi pro *Subsistentiam* legitur: *Substantiam*: alioquin esset falsa Pontificis propositio, etiam si daretur substantia absoluta, neque enim esset articulus fidei, dari substantiam absolutam.

672. Obijciunt. 2. Auctoritatem S. Hieronymi dicentis: *Taceantur tres hypostases. Si placet, & vna teneatur.* 32. Ex his verbis non magis probatur vna substantia absoluta, quam tres Relativæ impugnentur. Responsio certa est, tunc temporis significationem hypostasis non fuisse propriam illam quam modo habet, ad significandum ultimum terminum substantiæ ut contradistinctum ab ipsa Natura: sed idem significasse *Subsistentiam*, quod *Substantia*, Videatur P. Ruiz. disp. 32. s. 8. & 9.

673. Obijciunt. 3. Subsistere est Perfectio simpliciter simplex: atqui Personalitates non sunt Perfectiones simpliciter simplices: ergo debet admitti substantia absoluta. Respondet Ruiz negando minorem, & fusè conatur ostendere, singulas Personalitates esse Perfectiones simpliciter simplices, adeo ut essentia divina in ratione Entis infinitè perfecti, formaliter constitutur per singulas Personalitates, sine quibus esset imperfecta. Verùm ex suprà dictis de Identitate, non potest à nobis recipi hæc doctrina; ostendimus enim, quòd Relationes sint prædicata tantum perfectibilia, non perfectiva.

674. Aliter respondet Derkennius & Comptonus, quòd licet singula Personalitates non sint perfectio simpliciter simplex, tota tamen Trinitas, seu hoc quod est, aliquam habere substantiam, sit perfectio simpliciter simplex. Verùm nec hæc responsio placet, nisi fiat quæstio de nomine. Nam singula Personæ habent omnes perfectiones simpliciter simplices sibi communes, & Essentia divina ut virtualiter distincta à Relationibus, habet omnes perfectiones simpliciter simplices. Radix ergo Personalitatum est perfectio simpliciter simplex, quia melius est esse trinum radicaliter, quam non esse, quamvis non sit melius esse formaliter Trinum, quam non esse, quia Trinitas non est melior quam Paternitas, quæ non est Trina. Quod etiam expressit S. Augustinus serm. 38. de temp: *Tantus inquit, solus est Pater, vel solus Filius, vel solus spiritus S. quantus est simul Pater & Filius & Spiritus S.* & Concil. Tolet. XI. in profesi. fidei: *nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus.* & D. Thomas q. 42. a. 4. ad. 2. *Æqualitas.* inquit, attenditur secundum magnitudinem, magnitudo autem in divinis significat perfectionem Naturæ, & ad essentiam pertinet.

675. Ad Objectionem ergo respondeo, distinguendo majorem: Subsistere virtualiter, eminenter seu radicaliter, hoc est, habere in se virtutè identificandi sibi prædicata opposita, & incommunicabilia, est perfectio simpliciter simplex, concedo: in alio sensu nego: verùm esse huiusmodi radicem, non est formaliter substantia.

Objic. 4. Deitas etiam prout contradistincta virtualiter intrinsecè à Personalitatibus, est Deus: ergo est Ens subsistens. Antecedens conatur probare ex Concilio Rhemensi, dicente: *Credimus simpliciter, Naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quod divinitas sit Deus, & DEVS divinitas.* Respondent rectè Comptonus & Derkennius ex Ruiz, Mentem Concilij fuisse, damnare Gilberti propositiones, quibus inducere volebat distinctionem realem inter Naturam & Personalitates.

676. Objici possit. 5. Deus innotebit nobis lumine naturæ esse Ens subsistens: atqui non innotebit nobis lumine naturæ substantia Relativæ: ergo innotebit nobis Deus secundum aliquam substantiam absolutam. Argumentum probaret, quòd substantia absoluta constitueret Deum in ratione Personæ: nec enim Deus aliter nobis naturæ lumine innotebit subsistens, quam Persona. Respondetur distinguendo minorem. Non innotebit nobis Relationes seu substantiæ Relativæ secundum conceptum formalem Relationis, hoc est, secundum esse *Ad*, concedo: non innotebit secundum conceptum formalem substantiæ, præcindendo ab vna vel tribus, & secundum esse *In*. adeoque secundum prædicatum absolutum præcivè, nego minorem. Innotebit ergo nobis substantia divina lumine Naturæ, sicut innotebit nobis ratio Personæ, & tamen adversarij negant, Deitatem ut virtualiter distinctam à Relationibus esse Personam.

Objic. 6. Actiones sunt suppositorum: sed Relationes sunt actiones: ergo procedunt à supposito, seu à Natura subsistente. Distinguo majorem. Actiones ad extrà seu actiones non reddentes ipsam Naturam subsistentem, transeat, secus nego.

CONTROVERSIA VII.

Quodnam sit Principium formale Quod divinarum Processionum.

677. Certum est. 1. Principium Quod, live Totale Generationis, esse totam Personam Patris, & Principium Quod Spiracionis passivæ, esse Patris & Filij Personam. Certum est. 2. contra Durandum & Scotum, ipsam actualementem essentialiorem pertinere ad principium formale Quo Pater generat, & voluntatem actualementem essentialiorem pertinere ad Principium formale Quo Pater & Filius Spiritum sanctum spirant; quæ constant ex dictis, quòd Verbum procedat per Intellectum, & Spiritus S. per Voluntatem.

678. Controversia est, an sola Intellectio & Volitio essentialis sit ejusmodi principium formale Quo, an verò superaddenda sit ipsa Relatio Paternitatis & Spiracionis activæ, tanquam constitutiva Principij proximi. Conveniunt autem Theologi contra Ockam & Gabrielem, requiri Relationem saltem ut conditionem: & ratio est manifesta: alioquin non solus Pater, sed etiam Filius & Spiritus S. haberent omne quod requiritur

quiritur ad generandum & spirandum : cur ergo non generarent & spirarent, si ne quidem conditio aliqua deest?

679. Quæstio superest, quomodo Relatio requiratur, an præcisè ut Conditio, ad hoc ut Intellectio, prout in Patre existens, generet, & non ut existens in Filio, eò quod in Filio desit illa conditio, nempe Paternitas : vel an requiratur ut Principium formale *Quo*, sive deinde sit Principiū adæquatum, sive inadæquatum, in quo iterum est diffusio, de qua postea.

680. Prima Sententia est, Relationem Paternitatis (idem est cum proportionem de Relatione Spiratoris) requiri solum ut Conditionem, & non ut Principium. Ita Molina, Suarez, Præpositus, Tanner, Arriaga. Qui tamen (nescio an memor eorum quæ hic disputat de præsentis puncto) postea in alijs occasionibus non semel Relationes vocat Virtutem producendi, & quidem expressè *disp. 50. 1. 1. §. Secundo possit*. ubi ait: *Et quidem certum est, Patres admisisse virtutem spirandi; illam autem nos vocamus Relationem Spirationis*. hic autem totus est in eo, ut probet, quod Relatio sit mera Conditio, & non virtus.

681. Secunda Sententia docet, Relationes pertinere ad rationem Principij. Authores autem inter se differunt, fortassis in solo modo loquendi. Plerique sentire videntur, Principium formale *Quo*, non esse solam Intellectionem, sed simul cum Relatione, ita ut Intellectio essentialis & Paternitas simul ex æquo sint proximum principium formale; cum hoc tamen discrimine, quod Intellectio sit tantum Principium virtuale, quia non nisi virtualiter distinguitur à termino producti, nempe Verbo, at verò Paternitas sit Principium reale, quia realiter distinguitur. Ita Florentius, Arubal, citans Albertum Magnum, Richardum, Henricum Bonaventuram & Durandum. eandem tenet Valentia, qui primus illam illustravit. Alij volunt, Relationem importari quidem ut constitutivam & completivam Principij, sed minus principaliter & in obliquo. Ita loquitur S. Thomas q. 41. a. 5. *quem sequuntur communiter Thomistæ teste Philippo à SS. Trinit. disp. 11. dub. 3. & 4. & nosse P. Ruiz d. 100. s. 3. & 5.* Hos omnes conatur conciliare Card. de Lugo, docens, Intellectionem & Volitionem esse Principium formale *Quo* radicale seu remotum, Relationes verò formale *Quo* proximum. Nam, inquit, sicut in igne datur principium totale calefaciendi, qui est ignis ipse, & principium formale substantiale *Quo*, scilicet forma; & datur principium formale accidentale, scilicet calor, sic, inquit, possumus in Deo distinguere Principium totale *Quod*, qui est Pater, & principium formale radicale *Quo*, quod est Intellectio, aut volitio essentialis, & denique principium formale *Quo* proximum, quod est Relatio Patris vel Spiratoris. Rursum possumus distinguere inter principium proximum respectu Productionis activæ, & respectu Productionis passivæ: respectu activæ productionis (quæ in Deo

distinguenda est realiter à passiva) principium formale proximum *Quo* est sola Intellectio & Volitio, inter quas & inter Productiones activas nihil mediat, sed Generatio activa oritur immediatè virtualiter ab Intellectione ut à Principio immediato: Principium verò Processionis passivæ includit quidem Intellectionem & Volitionem, & deinde Relationes, sed has ut Principium formale *Quo*.

Hanc doctrinam esse ex mente Patrum ac Theologorum, probatur. Imprimis enim Sancti Patres de Principio formali Processionum diversimodè locuti sunt; verum in nostra hac secunda sententia, facile conciliantur, in prima sententia nullo modo. Multi ex sanctis Patribus dicunt, Verbum procedere ex substantia Patris, & ex essentia Personæ producentis: hæc testimonia videri possent favere adversarijs, sed facile explicantur. Et quidem Suarez & Arubal dicunt, eos non fuisse locutos de Principio formali, adæquato, & proximo, sed solum asserere voluisse, quod Verbum non sit productum ex nihilo. Locuti sunt ergo de Principio radicali *Quo*, sicut ignis rectissime dicitur per suam formam calefacere, vel generare alium ignem.

682. Deinde verò Patres asserunt, Principium seu potentiam generandi esse relationem. Vtrumque loquendi modum invenire licet in Concilio Florentino: nam Sess. 18. Joannes Theologus, qui contra Græcos disputabat, nomine cæterorum Patrum sic loquitur. *Ita ut Persona sit producat & generans, Principium autem Quo ipsa Persona generat, sit id quod solum communicabile est*. Pater ergo generativum principium est, & suppositum quoddam significat, divina autem substantia, quæ cum Patre realiter idem est, non quidem generat, sed est principium quo generatio fit, & similia repetit Sess. 19. quæ verba debent intelligi de principio formali proximo respectu generationis activæ & radicali respectu generationis passivæ, ut possint concordari cum illis quæ habentur Sess. 19. post medium §. in genere. ubi postquam idem Theologus dixisset, Substantiam esse Principium per quod generat Pater, subiungit: *Propterea autem non sequitur, ut hæc substantia secundum suum esse commune & absolutum, principium sit per Quod*.

683. Ex his verbis infertur hæc consequentia. Si Pater ita generat per suam substantiam, ut tamen hæc substantia non secundum esse commune & absolutum sit principium per quod: ergo secundum esse proprium & relativum seu notionale divina Substantia est Principium per quod Pater generat. Hanc consequentiam advertit Ruiz, addens eodem sensu eundem Theologum prius dixisse: *Non tamen secundum absolutam ejus considerationem*: aitque in hoc, sicut & in cæteris secutum esse doctrinam D. Thomæ, magisque receptam à nobilioribus Scholasticis.

684. S. Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus. *Omnia, inquit, quæ habet Pater, sunt Filij, solà gignendi vi excepta*. atqui sola relatio est excepta: ergo relatio est vis gignendi.

S. Atha-

S. Athanasius Dialogo de Trinit. contra Arianismos asserit, *Patrem hypostasi suā gignere*: quæ verba non sunt intelligenda de hypostasi ut est *Generatio activa* (de hac enim non dubitabatur) sed de virtute & principio proximo. Veniamus ad S. Thomam. Et quidem in 1. dist. 7. a. 2. ubi quaerit, an potentia generandi sit relatio, docet in C. Essentiam, secundum quod est Paternitas, esse principium Generationis. Cum, inquit, *proprietas realiter sit Essentia, aliquis actus egreditur ab essentia, secundum quod est ipsa Paternitas: & ipse actus est generare: unde principium generationis est essentialiter sub ratione Relationis*. & sic quidem habet in primo scripto. In secundo verò scripto eodem articulo ad 2. sic loquitur. *Quamvis potentia secundum se sit communis, tamen potentia generandi activè propria est Patri, non ratione potentie secundum se, sed ordinis ad actum notionalem, quia potentia generandi prout dicit ordinem ad actum, non tantum dicit potentiam, sed potentiam sub ratione proprietatis, quæ est Paternitas*.

685. Hic locus non solum est efficax ad præfens institutum, sed etiam ad confirmandam doctrinam quam supra tradidi, nempe non esse necesse dicere, de Natura & Proprietatibus verificari contradictoria, sed concedi posse, quod quicquid dicitur de Relatione, possit etiam dici de Natura, propter identitatem cum Relatione. Illi Authores, qui dicunt verificari contradictoria: Produci, & non produci: deberent in præfenti etiam dicere, verificari contradictoria: *esse Principium reale generationis, & non esse principium reale generationis*. Nam sicut volunt, naturam non produci, ita volunt, naturam non esse principium reale: & sicut Filiatio producit, ita Paternitas est Principium reale. At verò S. Thomas non ita loquitur, sed fatetur, quod de ipsa etiam Essentia dici possit esse principium, sed: *sub ratione Relationis*. sicut nos supra diximus, Naturam produci: sed: *sub ratione Relationis*. Sed hæc incidenter.

686. Ad locum adductum respondet Capreolus, S. Thomam in Summa correxisse hanc sententiam. q. 41. a. 5. Sed hoc non rectè dicitur. Nam, ut bene advertit Arrubal & Lugo, D. Thomas hoc articulo loquitur de principio radicali, ut colligitur ex argumentis quibus utitur, quæ de hoc solo procedunt: fundantur enim in hoc, quod omne generans generet aliud sibi simile in principio generationis, v. g. homo hominem: atqui hoc non est verum, nisi de principio radicali, scilicet de forma substantiali; nam quoad potentiam accidentalem & proximam, evidens est, filium non semper esse similem patri. Et nisi sic explicandus esset D. Thomas, contradiceret sibi in eadem Summa: nam q. 36. a. 4. ad 2. expressè docet, quod quando Pater & Filius dicuntur unum Principium, & non duo Spiritus Sancti, designetur una proprietas, quæ est forma designata per nomen. Ecce! asserit, Relationem Spiratoris designari tanquam formam per nomen *Principij*.

687. In eodem articulo primo dixerat, Virtutem spirativam esse quodammodo Naturam cum proprietate. Ad hunc locum, dissimulato priorè, respondet Arriaga, esse intelligendum cum proprietate tanquam conditione.

688. Sed contra. Intentio S. Thomæ erat, salvare, quomodo Pater & Filius sint unum Principium *Quod*, non obstante dualitate Relationum: atqui ad hoc salvandum non sufficeret unitas conditionis, v. g. si (quod secundum doctrinam Arriagæ fieri potest) in Petro & Paulo poneretur eadem cognitio de bonitate objecti, & uterque illud objectum amaret, non propterea esset unum principium amandi, licet esset una conditio ad utrumque amorem, scilicet cognitio replicata, quæ in sententia Arriagæ est tantum conditio ad amorem. Itaque S. Thomas loquitur de unitate Principij proximi, quod est proprietas utriusque communis, nempe Relatio Spiratoris; quare sicut propter unitatem Naturæ Pater & Filius sunt unus Deus, ita propter unitatem Principij seu Virtutis spirandi, sunt unus Spirator; & hic est genuinus sensus S. Thomæ.

689. Ulterius libro 4. contra Gentes c. 13. ait: *Nullam ergo potentiam habet Pater quam non habet Filius: sed Pater habet ad Generare generativam potentiam, Filius autem ad Generari: quæ solè Relatione differunt*.

Probatur nunc Conclusio Ratione. Primò Inter Principium formale *Quo*, & terminum productum productione reali, debet esse realis distinctio; nam ratione huius debet ipsum Principium *Quod*, realiter distingui à termino. atqui in Patre, qui est Principium *Quod*, nihil distinguitur realiter à Filio nisi Paternitas: ergo Paternitas non est mera Conditio, sed Principium formale *Quo*. Major probatur. Nam sicut productio virtualis requirit distinctionem virtualem inter Principium *Quo*, & terminum, ita productio realis requirit distinctionem realem.

690. Respondent adversarii, primò, retorquendo argumentum. Nam si principium formale proximum debet realiter distingui: ergo multò magis principium formale radicale seu remotum: atqui hoc non distinguitur realiter à termino: ergo nec est necesse distingui principium proximum.

691. Sed contra. Principium remotum in Deo ideo non distinguitur à termino, quia per ipsam productionem communicatur termino: omne autem quod termino communicatur, identificatur cum illo: at verò principium proximum non communicatur termino, alioquin Filius haberet principium proximum generandi seipsum. Discrimen hoc adversariis quoque admittendum est, qui fatentur, Generationem activam debere realiter à termino distingui: subsumo: atqui major est necessitas distinguendi principium, quam productionem activam, ut patet in creatis, ubi productio potest identificari cum termino, non item principium. Ergo etiam principium debet realiter distingui à termino.

692. Re-

692. Respondent. 2. Negando maiorem. quia sufficit (inquiunt) generationem activam, nempe relationem Paternitatis, realiter distingui à Generatione passiva, nempe à relatione Filij. Verum ex hoc ipso confirmo nostrum argumentum. In productionibus creatis ideo productio tam activa quam passiva, sive distinguantur, sive non distinguantur inter se, debent tamen realiter distinguui à principio formali quo, quia potentia producendi non est essentialiter connexa ipsi actuali productioni, seu quod idem est, rō producere non est essentialiter ipsi principio: atqui in divinis rō producere est essentialiter principio: ergo non debet ab eo distinguui ne quidem virtualiter intrinsecè, sicut non distinguemus in creatis, si esset essentialiter connexum principium productioni actuali.

693. Respondet tandem aliter Arriaga, supponendo ex sua philosophia, posse aliquid se ipsum immediatè producere, adeoque etiam aliquid identificatum & virtualiter distinctum, si principium producat supponatur aliunde existens. In hac responsione putat Arriaga tandem esse sistendum, & fundandam sententiam contrariam.

694. Sed contra. 1. Fundamentum hoc falsum est, vt ostenditur à modernis in physica, & præter Arriagam neminem, quod sciam, habet classicum Authorem. Nam licet Suarez id docuerit Tomo Tertio in Tertiam partem disp. 50. s. 4. ad finem, in Metaphysica tamen, quam postea scripsit, videtur ab ea mente recessisse, dum docuit, de ratione omnis causæ esse; influere in aliud naturā distinctum. ita habet disp. 12. Metaphys. s. 2.

695. Contra. 2. Demus esse verum illud principium, non servit tamen adversarijs ullo modo in presenti puncto. Nam vt Suarez & ipse Arriaga docent, ideo potest aliquid intelligi seipsum producat per secundam actionem, quia talis entitas saltem adhuc præsupponeretur pro prioris naturæ ad actionem à se realiter procedentem, & ad se terminatam: quare necesse esset, vt saltem actio realiter distincta à principio producente & producto in illo casu intercederet, quo aliquid seipsum produceret, alioquin non esset vlla prioritas naturæ: atqui in nostro casu, in sententia Arriagæ, ita Intellectio divina produceret realiter Filiationem, vt tamen nulla intercederet entitas realiter distincta ab Intellectione, respectu cuius posset dici verum & reale principium: ergo nihil facit ad rem principium ab Arriaga adversarijs suggestam.

696. Probatur nunc Conclusio. 2. Si Intellectio esset adæquatam principium generationis, sequeretur Filium non solum generari à Patre, sed etiam à seipso: consequens est absurdum: ergo &c. Probatur sequela. Illud omne suppositum dicitur producere terminum, in quo existit principium defacto producat illum terminum: atqui

in Filio existeret principium defacto producat Filium, nempe Intellectio essentialis: ergo &c.

697. Respondent, distinguendo probationem maioris: nisi desit aliqua conditio requisita, vt principium possit operari in tali supposito, concedunt, si desit conditio, negant. in Filio autem deest conditio quæ reperitur in Patre, scilicet Paternitas, seu productio activa.

698. Declarat hoc Arriaga n. 17. exemplo. Demus, inquit, divinitus poni à Deo eundem numero calorem in igne Romano & in Pragensi. nullus negare poterit, esse utrobique rationem totam agendi, hæc enim est solus calor. Secundo, demus, hic Pragæ applicari igni A. stupam, igni verò B. habenti eundem calorem, non applicari Romæ eam stupam, quis poterit negare, quin ignis A. comburet eam stupam, non autem id præstabit ignis B. licet habeat eundem numero calorem, & idem numero principium Quo cum igne A. quia licet habeat eandem rationem formalem, non tamen procedit illa stupæ combustio ab eo calore vt in igne B. sed vt in igne A. approximato stupæ. Hæc Arriaga.

699. Contra hæc omnia sic vrgeo. Ad hoc vt aliquod suppositum denominetur agere per aliquod principium in se existens, & defacto operans, non est necesse, vt conditio existat in illo ipso supposito, dummodo existat à parte rei, & sit sufficiens, vt principium possit operari. Nam iste effectus formalis: operari per tale principium, plus non dicit, quam: tale principium existere in tali supposito, & tale principium defacto operari: ergo etiam si conditio requisita ad operationem talis principij non existat in tali supposito, nihilominus tale suppositum denominabitur operari, si defacto à parte rei est posita conditio sufficiens, vt à parte rei tale principium operetur.

700. Declaratur in ipso exemplo quod attulit Arriaga; circa quem tamen obiter adverte, eum immeritò dixisse, quod nemo negare possit, solum calorem ignis esse totam rationem calefaciendi; hoc enim negat Oviedo & plurimi Recentiores, volentes, simul cum calore concurrere formam ignis: sed demus, solum calorem calefacere, immò & stupam comburere (quod tamen Arriagæ juxta sua principia negandum fuisset, cum nolit accidentia producere substantiam) Dico, quod in exemplo Arriagæ non magis ignis A. Pragensis denominetur comburere stupam, quam ignis B. Romanus. Pro quo

701. Adverte, hos duos effectus formales esse diversos: Ignis B. comburit: &c: Ignis B. comburit hic Pragæ. & quidem in secunda propositione laterat æquivocatio; nam rō Hic, potest vel appellare existentiam localem ipsius Ignis, vel existentiam localem ipsius combustionis: in hoc posteriori sensu, dico, quod etiam ignis Romanus denominetur comburere stupam Pragæ applicatam calori etiam in igne Romano existenti, nam sensus est: ignis Romæ existens per suum calorem

O

rem

rem producit combustionem existentem in stupā Pragenſi ſeu Praga, ſicut ſi Deus elevarer me ad producendum in diſtans ignem in India, eſſet verum dicere: *ego produco ignem in India*, non quidem ego exiſtens in India produco ignem, ſed ego (vbicunque tandem exiſtens) produco ignem cum vbicatione Indica. Itaque, licet in caſu Arriagæ ignis B. Romanus non producat combustionem Praga in primo ſenſu, hoc eſt, vt exiſtens Praga, in ſecundo tamen ſenſu ibi producit denominationē non minùs quàm ipſe ignis Pragenſis, & hoc præciſe ideo, quia calor exiſtens in igne Romano, eſt Praga ſufficienter applicatus, & deſacto comburit ſtupam: vnde fit, vt non magis denominet comburentem ignem Pragenſem quàm Romanum, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd ignis Pragenſis etiam vt Praga exiſtens comburat, non item ignis Romanus: ſed hoc nihil facit ad effectum formalem de quo litigamus, nempe vt ſimpliciter & abſolute denominetur ignis comburere.

702. Confirmatur. Ponamus, quòd Deus concurrat cum calore replicato in igne Pragenſi & Romano ad combustionem ſtupæ exiſtentis in India, cui neuter ignis eſt applicatus: quæro, an in tali caſu ignis Pragenſis potiùs denominetur comburere, quàm ignis Romanus? non utique: quæro item, à qua forma proveniat utriusque denominatio? non ab alia, quàm quòd illa combustio procedat à tali calore, & talis calor in-exiſtat utrique igni. atqui etiam in caſu Arriagæ ignis Romanus habet hanc totam formam: ergo etiam haberet effectum formalem, qui eſt; *comburere*. Aliud ergo eſt, quòd vbicatio ſit conditio, vt calor poſſit agere, & aliud, quòd caſu quo agat, vbicatio ſit inſuper conditio, vt ignis denominetur agere: prius eſt verum, falſum poſteriorius.

703. Jam ad noſtrum propositum redeundo, infero, quòd ſi Intellectio divina eſſet adequatum principium *Quo* producendi Verbum, non ſolùm Pater denominaretur *Producens Verbum*, ſed etiam ipſum Verbum denominaretur producere ſeipſum. Solvamus nunc argumenta quæ obijciuntur.

704. Obijcit Arriaga primò & principaliter. Verbum procedit per Intellectionem, & non Spiritus S. ergo Intellectio eſſentialis non eſt merum principium remotum & radicale. Probat conſequentiam. Nam ſi hoc ſufficeret, vt Verbum diceretur procedere per Intellectionem, etiam Spiritus S. procederet per Intellectionem, quia etiam Intellectio eſt principium remotum Spiritus S. quia eſt radix volitionis per quam procedit Spiritus S. 2. Negando paritatem. Quia Verbum, non item Spiritus S. procedit per Intellectionem Notionalem, vt jam ſuprà dictum eſt, & iterum infra dicitur.

705. Obijciunt. 2. In productione vni-voca terminus productus debet eſſe ſimilis producenti in principio formali: ſed Filius divinus non eſt ſimilis Patri in Paternitate, ſed in Intellectu: ergo Intellectus, & non Paternitas eſt principium formale. 2. Distinguendo majorem: debet eſſe ſimilis principio formali radicali, concedo: proximo, nego: ſicut adverſarij negant eſſe ſimilem in conditione generandi.

706. Obijciunt. 3. Perſonalitas creata non eſt operativa; ergo nec Perſonalitas increata. Retorqueo. Perſonalitas creata non eſt productio activa, ergo nec increata: mala conſequentia ab vna Perſonalitate ad aliam. Itaque diſtinguo conſequens. Non eſt operativa formaliter & præciſe quā Perſonalitas eſt, concedo, quā ſimul productio activa eſt, nego.

708. Obijciunt. 4. In Patre nulla eſt potentia generandi, quæ non ſit in Filio: ſed Paternitas non eſt in Filio: ergo Paternitas non eſt potentia generandi. Major colligitur ex S. Auguſtino lib. 3. contra Maximinum Epiſt. 12. dicente, Filium non ideo non generaliſſe, quia non potuit, ſed quia non oportuit. 2. Negando Majorem. Oppositum probavimus testimonijs ſup. relatis. S. Auguſtinus æquè eſt explicandus adverſarijs, qui docent, Filium non poſſe generare. Interpretatio eſt facilis. Voluit dicere S. Pater, Filium non generare non ex defectu, ſeu impotentia, aut imbecillitate, ſed ex

neceſſaria Perfectione.



CAPVT